

quam casses suspendis inutiles divitiarum copias, quae etsi fluant, nihil prosunt, imo exuunt te imaginem Dei, et induunt terreni imaginem? Si tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi? Tu deponis imaginem aeterni imperatoris, et erigis in te imaginem mortis. Ejice magis de civitate animae tuae imaginem diaboli, et attolle imaginem Christi. Haec in te fulgeat in tua civitate, hoc est, in anima resplendeat, quae oblitterat vitiorum imagines. De quibus ait David: Domine, in civitate tua, ad nihilum deduces imagines eorum<sup>1)</sup>). Cum enim depinxerit illam Hierusalem Dominus ad imaginem suam, tunc adversariorum omnis imago delebitur.

**QUOD OFFICIORUM GRATIA, MINISTROS ALTARIS MAXIME DECEAT:**  
**QUOD TESTIMONIO LEVITICI COMPROBATORUM.**

Quod si Evangelio Domini etiam populus ipse ad despicientiam opum informatus atque institutus est: quanto magis vos Levitas oportet terrenis non teneri cupiditatibus, quorum Deus portio est? Nam cum divideretur a Moyse possessio terrena patrum populo, excepit levitas Dominus a terrenae possessionis consortio<sup>2)</sup>), quod ipse illis esset funiculus haereditatis. Unde ait David: Dominus pars haereditatis meae et calicis mei<sup>3)</sup>). Denique sic appellatur Levita ipse meus, vel ipse pro me. Magnum ergo munus ejus, ut de eo Dominus dicat: Ipse meus. Vel quemadmodum Petro dixit de statere in ore piscis reperto: Dabis eis pro me et pro te<sup>4)</sup>). Unde et Apostolus cum episcopum dixisset debere esse sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem, docibilem, non avarum, non litigiosum, domui suaee bene praepositum, addidit: Diaconos similiter oportet esse graves, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura<sup>5)</sup>). Et hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum

1) Ps. 72. 2) Num. 18. 3) Ps. 15. 4) Matth. 17. 5) 1 Tim. 3.